

Professione *Clotzius*, merita sua per integros vitæ suæ dies huic Academiae consecrare. Sed cum tanta jam juvenis Professoris in eam prostant merita, quanta à provectoris ætatis viris sperare fas est, DEI consilio sapientissimo à Christiano IV. Dan. & Norweg. Rege ad Superintendentis Generalis in Duc. Holsat. & Slesvic. munus Anno 1636. ætatis nondum exacto trigesimo, ad Præposituram item & Pastorum Flensburgensem vocatus est. In quibus officiis per integros 32. annos substitit & subsistere ad mortem usque in votis Nostro fuerat, nisi à Rege Frid. III. ad moderanda in Regia Hafniensi Consilia Ecclesiastica accersitus fuisset. Sed impediante fato, lubenti licet Nostro non licuit oblatae spartæ præesse, eodem, quò evocatus fuerat, anno, ætatis 62. ad cœlestem Acad. translato, Ann. post C. N. 1668. Fusius vitæ curriculum & conjugia, in quibus recensendis prolixis heic esse non convenit, descripsit *Olaus Müllerus*, Past. Flensburg., in *Consiatione funebr. Memoriam Clotzianam consecrata*, cujus personalia, ut vocantur, *Memoriis Theoll. renov.* inseruit *Wittenius*, Dec. XII. p. 1615. ff., qui & pauca quædam de eo habet in *Diar. Biogr. ad Ann. 1668.* Prolixiorem vitæ ejus Historiam promisit *Celeb. Polyhistor, Job. Möllerus* in edenda abs se *Cimbria Literata*, qui paucis videri potest in *Isag. ad Hist. Cherson. Cimbr. P. III. c. 3. §. 29. n. 7. p. 334.* Nos, quibus magna Clotzii merita ex scriptis æstimare solenne est, eadem jam, quot nobis innotuerunt, recensere suscipimus. Sunt verò sequentia:

1. Exercitationes duæ Gymnasmatice logicæ, Rost. 4. 1628.
2. Tractatus de Angelolatria, h. e. religiosa, ut vocant, adoratione & invocatione Angelorum, contra Monachos & Jesuitas. Præfixa est Diss. de Natura & ratione idololatrias in genere, ibid 4. 1636.
3. Tractatus de Baptismo, ibid. 4. 1636.
4. Pneumatica s. Theologia naturalis, h. e. de DEO, ut naturam cognoscibilis est, Tractatio theol. & scholastica, è Scripturis, B. Patrum & priscorum Philosophorum scriptis ac sana ratione concinnata, primum in Acad. Rost. publicis privatisque Disputationibus exhibita, post in libri formam ab Autore ipso redacta, multisque in locis aucta. Cum præfixa diss. de Notitiis naturalibus, Rost. 8. 1640.
5. Historia Magorum, Francof. 4. 1672.
6. de sudore Christi sanguineo ejusdemque animæ cruciatibus Tractatus Exercitationibus aliquot comprehensus, Hamb. 4. 1670. Francof. 4. 1674. vid. *Eipenii Bibl. Real. Theol.*
7. Tractatus de Doloribus animæ Jesu Christi in horto & cruce Liber. I. Considerationibus 31. inclusus, Francof. & Hamb. 4. 1670.
8. Liber 2. de Cruciatibus animæ Jesu Christi, scil. de Tristitia, pavore, timore, ἀδυναμία, ἀγανάκτησις, derelictione, Considerationibus 12. propositus, ibid. 1670. uterque liber postea

postea